per ſe ipſam modo ineffabili exiſtit, & ὄντως ὄν ἐστι: ita longè ſupra comparationem omnium eſſentiarum poſita, omnium omninò accidentium reſpectum adeò excludit, ut Eſſentia & Deus, ac vice verſa, Deus & eſſentia termini ſint planè ἀντίστροφοι ſive convertibiles.

Vna.

28. Cæterùm divinam hanc Eſſentiam, quæ eſt ipſe DEVS, ad numerum Vnam eſſe, noſtræ confitentur Eccleſiæ.

29. Deteſtantur ergò veſanam illam impietatem, quæ in conſtituendis Dijs, ad multitudinem imò infinitatem uſque eſt progreſſa, adeò ut D. Auguſtino ex Varrone annotante, triginta millia Deorum uno ſeculo orbis terrarum coluerit: quin & eò licentiæ perventum fuerit, ut (Tertulliano referente) Senatus Romanus penes ſe jus illud eſſe voluerit, ut pro Deo coleretur, quem ipſe hoc nomine & honore dignum iudicaſſet.

Tertull. in apologet.

30. Eſſe verò οὐσίᾳ & numero unum Deum non plures; ſaniores etiam Ethnici aliquatenus intellexerunt.

Damaſc. lib. 1. Orth. fid. c. 5.

31. Nam unum eſſe ſummum rerum omnium principium, vel ex eo deprehendebant, quod ab Vnitate pendet omnis multitudo, & ad unum, multa, imò omnia tanquàm ad finem tandem referri ſolent.

32. Evincit præterea ratio ipſa, ex multiplici motu, qui in toto univerſo, & partibus eius ſingulis cernitur, neceſſariò tandem devenien-

dum